

§. VII. Per τὰς ἐκπεριτομῆς, eos, qui sunt ex circumcisione, intelligit hoc loco Apostolus non tam Judæos circumcisos simpliciter (uti phrasis hæc Actor. X. 45. & XI. 2, Rom. IV. 12. Coloss. IV. 11. accipitur, in oppositione ad αἱρέθυσταν σχολας, præputium habentes, sive præputiatus Actor. XI. 3. Genes. XXXIV. 14.) quam Judæos tales, qui usum circumcisionis, cæterarumque ceremoniarum Mosaicarum in Ecclesia Christiana retinendum esse censebant, & Christum Mosi, seu Evangelium Legi jungere studebant, quomodo hæc loquendi formula Tit. I. 10. quoque usurpatum. Factum ergo Petri, ob quod a Paulo reprehenditur hoc est; Cum Antiochiam venisset, juxta tenorem Concilii Hierosolymis habiti, una cum Gentibus ad Christianismum conversis sumebat cibum, non servato discrimine escarum Lege Mosis olim in populo Judaico Levit. II. prohibitarum, sed cum supervenissent Judæi, ζηλωται τῷ νόμῳ Actor. XXI. 20. ex metu horum fidelium ex Judaismo conversorum, subducebat se, factus ex Apostolo hypostolus, ac seorsim ivit, declinata Gentilium conversorum σομπολητια, ut loquitur B. Dannhavverus in tract. de Mysterio Syncretismi pag. 74. Non ergo ob id Paulus Petrum arguit, quod gentiliter vixisset, h. e. una cum Gentibus conversis omni cibo indiscriminatim libere usus esset, sed ob subdictionem, separationem & incautam Judaismi simulationem, atque scandalum publicum, quod dabat gentibus, quas suo exemplo cogebat judaizare, ut ex seqventibus patebit. Permovebat autem Petrum ad hanc periculosam & scandalosam simulationem præsentia discipulorum Jacobi Apostoli, qui quidem fidem in Christum erant professi, nondum tamen plane Mosen dedocti, adeo enim infederat illorum animis opinio, de fervidis ritibus Mosaicis, ut ægrotarent, eos alibi negligi, & vivere pergebant Ἰαδαῖνως, ideo metu offendendi illos, Petrus in simulationem illam abripitur.

§. VIII. In vers. 13. in primis consideranda est vox ὑπόκρισις. Significat autem ὑπόκρισις in genere simulare, fingere, diciturque de illis, qui aliud faciunt, aliud statuunt, sive qui aliud præ se ferunt, aliud in animo sentiunt. Inde hypocrisis in genere est, cum quis verbis, gestibus & factis externis aliud se esse simulat, quam revera est.